

Grundbuch

I

5

N^o 3^d

Zur K. K. Hof- und
Militär- und Ingenieur-
Schule

52

PECCATVM
IN
SPIRITVM SANCTVM

AD
SACRA PENTECOSTES
PIE CELEBRANDA
IN ACADEMIA IENENSI
PROPOSITA COMMENTATIO
QVARTA.

LITTERIS IO. CHRISTOPH. STRAVSSII.



DEI GRATIA
ERN. AVG. CONSTANTINVS

DVX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIVS THVRIN-
GIAE MARCHIO MISNIAE COMES PRINCIPIS DIGNITA-
TE HENNEBERGIAE COMES MARCAE ET RAVENSBER-
GAE DYNASTA RAVENSTEINII RELIQUA

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
MAGNIFICENTISSIMVS
SPIRITVS SANCTI GRATIAM
PRECATVR

C I V I B V S

PROGREDIMVR in antiquiore dogmatis de peccato in spiritum sanctum historia enarranda atque operam nostram nunc merito ad id adhibemus, vt, quæ ex veterum christianorum doctorum monumentis, ad nos delatis, adhuc dicenda restant, ea itidem tali, quali antea vsi sumus, ratione persequamur. Quid statuerint de peccato hoc: HIERONYMVS, HILARIVS, PACIANVS, AMBROSIVS, ATHANASIVS, AVGVSTINVS, ORIGENES, PHILASTRIVS, CHRYSOSTOMVS, BACHARIVS, IRENAEVS, pro sententiarum, quas amplexi sunt, diuersitate a nobis in certos diuisi ordines, monstrauiimus. Præter hos, sunt alii, quorum effata de peccato in spiritum sanctum ad nos peruenerunt, ac quamuis plerique eadem, quæ iam memorati scriptores, tradant; putamus tamen, tantum abesse, vt eorum enumeratio sit superuacanea; vt ad adcuratiorem pleniorisque rei scientiam adiumentum adferat.

Primum locum adsignamus BASILIO *magno*, qui existimat, iniuriam fieri spiritui sancto, si eius opera aduerfa-

uersario ipsius tribuantur: ἐκεῖνος, inquit, βλασφημεῖ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃς ἂν τὰς ἐνεργείας καὶ τὰς καρπὸς τὰ ἁγία πνεύματος τῷ ἐναντίῳ ἐπιφθίσῃ, ille blasphematur spiritum sanctum, qui effectus et fructus spiritus sancti aduersario ipsius adtribuit, utque rem illustret, subiungit: quod peccatum incurrimus plerique nostrum, qui securi periculi temere strenuum sepe numero adpellamus ambitiosum et ei, qui iusta indignatione per zelum mouetur et eam re indicat, iracundia calumniam impingimus et ad eundem modum alia, iniquis adducti suspicionibus, ementitis nominibus, de aliquo dicimus.* Ita mentem seruatoris minus recte exprimi, non difficile est, intelligere; sed statim ex eo adparet, quia calumniae atque obtreccationes grauiora quidem peccata sunt; atamen non eius conditionis, ut nulla eorum venia expectari debeat. Non meliorem rationem, christi dictum interpretandi, iniit EPHRAEMVS Syrus. Ad quaestionem enim: quod genus peccati est irremissibile? respondet: illud, quod est in spiritum sanctum ac omnium haereticorum,** hisque verbis non obscure significat, peccatum in spiritum sanctum proprium esse haereticorum; siue eorum, qui licet homines sint christianae professionis; tamen capitales errores non solum ipsi tueantur ac post confutationem, pertinaciter defendant; sed etiam, ut alios de recta via deducant atque ad partes suas trahant, omnem dent operam. Aperte falsa est et hac interpretatio. Haereticos vehementer peccare, maxime in deum atque alios, nemo diffitebitur; eos autem ita delinquere, ut ipsis nullus resipiscentiae ac gratiae diuinae locus relictus sit, cur adfirmetur, plane nulla causa est. Possunt enim eiusmodi peruersi ac turbulenti homines ad rectam viam, de qua deflexerunt, redire: immo fuisse in illorum cohorte, qui mentem, summis antea erroribus

A 2

bus

* regul. breuiorib. respons. ad interrogationem. CCLXXIII. tom. II. oper. p. 722.

** interrogat. et responsib. p. 148. oper. edit. VOSSII.



bus ac vitis contaminatam, pœnitendo seque ad deum conuertendo, corrigerent, historiarum commentarii æque ac experientia documenta abunde comprobant.

Simili modo hancque ob rem itidem falso CYRILLVS *Hierosolymitanus* de peccato in spiritum sanctum exponit. Postquam antiquiores prauarum opinionum magistros, Simonem magum, Marcionem, Montanum, Manetem cum adseclis gnosticosque in primis ob erronea dogmata, quæ de spiritu sancto disseminarunt, grauius perstrinxit, omnes istos culpæ peccati in spiritum hunc obnoxii adnumerat atque alios ad consociationem eorum deuitandam diligenter adhortatur: *μίσησον, αἰτ, τοῖνυ τὰς τοιάτας καὶ Φεύγε τὰς βλασφημῆντας τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ ἄφρων ἐκ ἔχοντας, odevis igitur tales et fuge, qui blasphemant contra spiritum sanctum et nullam habent peccatorum condonationem.* * Patet ex his, Cyrillum re ipsa cum Ephræmo consentire, qui adiungat se ad hæreticos, eum peccati in spiritum sanctum reum se facere; simul vero ex isto sequitur, vt talis in eum, qualis in Ephræmum, animaduersio censoria merito adhibeatur. Eodem iure notandus ac reprehendendus est DIDYMVS *Alexandrinus*, scholæ catechetica, quæ Alexandria floruit, præfectus, Hieronymi ac Rufini præceptor. Data opera dogma de spiritu sancto enarrauit ac quum in extremo commentationis suæ peccati, quo iniuria isti inferitur, mentionem fecerit, illud in singulas essentia diuinæ personas fieri, adfirmare, non dubitauit. Sic eum omnino statuisse, facile ex his illius verbis conficiendum est: *quicumque in spiritum sanctum blasphemauerit, non solum in hoc seculo; verum etiam in futuro non dimittetur ei; nec vlla misericordia et venia reseruabitur illi, qui conculcauerit filium dei et iniuriam fecerit spiritui gratiæ eius, in quo sanctificatus est. Quod quidem et in deo patre est intelligendum.*

* *cateches. xvi. p. 226. oper. edition. MILLESII.*

gendum. Nam qui blasphemauerit in eum et impie egerit, sine venia cruciabitur.* Longe hæc a veritate discedunt idque est, quod satis firme ac perspicue quisque ex eo cognoscere potest, quia christus peccatum in spiritum sanctum expresse discernit a peccato in filium hominis ac pronuntiat, hoc; non illud condonari, *Matth. XII, 31. 32.* immo ab omni conuicio, quod deo fiat, *Marc. III, 28.*

Sequitur *VICTOR Antiochenus*, qui sententiam de peccato in spiritum sanctum tulit, ab aliis, antea memoratis, *CHRYSOSTOMO* quippe, *BACHIARIO*, *THEOPHYLACTO*, adprobatam. Refert enim peccatum hoc ad personam spiritus sancti; non quod res ipsa postulat, ad illius officium, atque arbitratur, id non simpliciter; sed comparate omnis veniæ expers esse. Scribit iste: hæc quum de blasphemia peccato seruator noster differit, neque conuicium in filium absolute remissibile; neque blasphemiam rursus in spiritum simpliciter irremissibilem definire vult, quasi nullus prorsus eiusmodi blasphemis hominibus, dummodo ad sanam mentem redire, in animum induxerint, penitentia locus relictus sit; verum, comparatione quadam inter hanc et illam contumeliam facta, indicat, eam, quæ cadit in filium, tamquam quæ in hominem proxime ferri videatur, multo minorem censeri illa, quæ temerario nefarioque ausu effunditur in spiritum sanctum.** Minus hæc, vt existimamus, VI-

A 3

CTOR

* libro de spiritu sancto, qui græce interit; ab *HIERONYMO* autem latine conuersus, exstat in huius operibus tom. IV. part. I. p. 494. edition. *MARTIANAËI*, vbi locus, a nobis descriptus, p. 530. legendus est.

** effatum hoc reliquid in commentario in *Marcum*, qui cum *TITI BOSTRENSIS* expositione in euange-

lum Lucæ latine editus est a *THEODOR. PEITANO*, Ingolstadt. MDLXXX. ac postea translatus in bibliothecas patrum atque in his *Lugdunensem* tom. IV. p. 370. Ibi verba, a nobis adducta, p. 377. habentur. Græce commentarius hic exhibetur in *PETR. POSSINI catena græcorum patrum in euangelium secundum Marcum*, Rom. MDC-

CTOR pronuntiaffet; nec de vlla cogitasset comparatione, vbi verba, de peccato in spiritum sanctum a christo prolata, attente legisset ac qualis propria indoles sit peccati huius, recte intellexisset. De peccato enim in filium hominis seruator plane dicit, impetrandam esse illius veniam; de eo autem, quod in spiritum sanctum committitur, absolute addit: *si quis contra sanctum spiritum dixerit, non ignoscetur ei, nec in hoc seculo; nec in futuro*, hocque et ipsa peccati huius natura confirmat, ita comparata, vt omnem resipiscentiam ac, quod consequens est, omnem gratiam dei recuperandam tollat. Adiungimus ISIDORVM *Pelusiotam*, ideo nunc a nobis memorandum, quia in scriptis, quæ conseruata sunt, etiam de peccato in spiritum sanctum differuit; ea tamen ratione, vt non singularem; sed communem cum HIERONYMO, HILARIO, ATHANASIO, AMBROSIO atque aliis, antea enarratis, sententiam declaret, peccatum in spiritum sanctum fieri in spiritum christi; siue in christum speciatimque in eius diuinitatem, atque absolui negatione, illum esse verum deum. Causam, cur peccata in christum hominem ignoscenda sint; minus in eundem, quatenus est deus, his verbis, latine tantum transcribendis, explicat: *quicumque, inquit, contumeliosum verbum aduersus filium hominis dixerit, non iudicatur, inquit dominus, quoniam ii, quorum mentis oculi lippunt, deum arcano atque omni sermone præstantiori modo cum visibilis carnis vilitate vnitum ægre percipere et contemplari possunt, quod videlicet abscondita diuinitas ignoretur. Homini- bus autem animi puritate præditis, quibus incarnata diuinitas adparuit, nec infidelitas animo inest; nec iudicii ultio denun- tiatur. At vero contumelia aduersus spiritum sanctum comie- ta idcirco venia caret, quoniam ipsa opera, in oculis et ad- spectu*

LXXIII. fol. adde RICHARD. SIMONEM *histor. critiqu. des princi-* *paux commentateurs du nouveau te-*
stament p. 427.

spectu posita, eos, qui contumeliam inferunt, malignitatis et ingrati- tudinis conuincunt. Nam quum diuinæ naturæ po- tentia morbi excinderentur ac demones pellerentur, hæc di- uina signa in Beelzebub edi, iudei per calumniam adfirma- bant. Quocirca dominus hanc contumeliam, quæ diuinam essentiam perspicue impetebat, omnis veniæ expertem esse, pro- nuntiauit. At vero quis non videat, satis infirmam esse ac probandi virtute carere rationem hanc?*

Quid LEO I. magnus dictus, præsul romanus, de peccato in spiritum sanctum statuerit, licet nobis, ex oratione, ab eo recitata atque ab interitu vindicata, cog- noscere. Detestatur ibi Macedonianos, quos spiritum sanctum natura ac dignitate inferiorem esse patre ac filio, adfirmasse atque ita eius impugnasse diuinitatem, constat, eosdemque ad illos adiungit, qui in culpam peccati contra spiritum hunc incidunt. Ex his iure colligitur, LEONEM peccatum hoc maxime ad personam spiritus sancti retulisse. Verba ipsa, quibus id significauit, hæc sunt: *Macedonianos pariter detestamur, qui licet patri et filio tribuant æqualitatem; spiritum tamen sanctum inferioris putant esse naturæ, non considerantes, eam blasphemiam se in- cidere, quæ neque in præsentis seculo; neque in futuro sit remittenda iudicio.* Minus recte hæc sunt dicta. Sane qui spiritus sancti diuinitatem negat, is propter errorem hunc culpam peccati in spiritum sanctum haud sustinet, quoniam, ubi hoc statuatur, ex eo rite concludendum est, aut omnes oppugnatores diuinitatis christi in spiritum sanctum peccare; aut spiritum sanctum dignitate auctori- tateque filium dei antecedere. Neutrum admitterendum est: neque illud, quia peccata in filium hominis et in spiritum sanctum inter se diuersa esse, seruator expresse enuntiat; neque hoc, quod certo scimus, essen- tiam

* *libr. 1, epistol. 59. p. 13. edition. Parisiens. MDCXXXVIII.*

tiam trium personarum diuinarum vnã eandemque esse. Sed tamen LEO sententiam suam quodam modo meliorem reddit, dum addit: *permanens in hac impietate sine venia est, quia exclusit eum, spiritum quippe sanctum, a se, per quem poterat confiteri; nec vniquam perueniet ad indulgentiæ remedium, qui patrocinatorum sibi non habet aduocatum. Ab ipso sunt lacrimæ penitentium: ab ipso sunt gemitus supplicantium.** Indicat his quædam, quæ ad spiritus sancti officium atque ad causam pertinent, licet peccatum in istum neūtiqum sit condonandum; licet propriam illius naturam minus expriment. Adiungimus vnicuique ætatis huius christianum doctorem, EUGENIUM, Ruspensem episcopum. Sunt enim in scriptis eius, iuris publici factis, pronuntiata de peccato in spiritum sanctum, a nobis minime silentio prætereunda. Existimat, eum peccare contra spiritum sanctum, qui vsque ad mortalitatis suæ finem in vitiis suis perseveret ac gratiam dei constanter spernendo, numquam ad meliorem animum reuertatur,** hacque in re præcipue AVGVSTINVM sequitur, quem idem de peccato hoc sensit, antea animaduertimus ac quid veri: quid falsi in opinione hac insit, monstrauius. — Alio loco eadem proponit atque his vtitur verbis: *ille dicit irremissibile verbum aduersus spiritum sanctum, qui diuitias bonitatis dei et patientiæ et longanimitatis contemnens, secundum duritiam suam et impenitens cor thesaurizat sibi iram in die iræ et reuelationis iusti iudicii dei, qui reddet unicuique secundum opera sua.****

Sufficiant hæc de antiquioribus ciuitatis christianæ doctoribus. Quæ ex monumentis eorum de peccato in spi-

* sermon. LXXIII. cap. 4. tom. 1. conum cap. III. p. 518. edit. Paris. oper. p. 136. edit. QVESNELLI MDCLXXXIII. Lugd. MDCC.

** libro de fide ad Petrum diaconum cap. 24. p. 379. oper. *** de remissione peccator. libr. 1.

spiritum sanctum a nobis non solum enarrata; verum etiam diiudicata fuerunt, ea abundanter ac sperspicue testantur, patribus his sacri ordinis nullam iniuriam fieri, si dicatur, illos vel minus recte; vel minus accurate intellexisse, quid sit peccatum in spiritum sanctum: quæ sit eius forma propriaque natura. Pergimus nunc ad ætatem mediam, eo quoque consilio, vt dispiciamus, qualia de peccato hoc a sanctiorum litterarum magistris tradita fuerint. In illis ingenio, eruditione ac fama eminebant doctores, quibus *scholasticorum* nomen datum est. Versati isti sunt in explananda doctrina de peccato hoc variaque de eo disputarunt; quæ tamen confusa, vitiosa, erronea sunt. Ne temere hoc adfirmasse, videamur, PETRVM LOMBARDVM ET THOMAM AQUINATEM, qui in scholasticorum cœtu principatum tenent, veluti testes, aduocare, nobis liceat. Ille, qui *magister sententiarum* adpellatur, eos in spiritum sanctum delinquere, existimat, *qui sua malitia dei bonitatem superare putant et ideo penitentiam non adsumunt, et qui iniquitati tam pertinaci mente inhaerent, vt eam numquam relinquere proponant et ad bonitatem spiritus sancti numquam redire, patientia dei abutentes et de misericordia dei nimis præsumentes: quibus placet malitia propter se, sicut piis bonitas. Isti nimia pertinacia et præsumptione peccant, autumantes, deum*



non esse iustum: illi desperatione deum non bonum existimant, tollentes in hoc turbulentissimo iniquitatum mari portum diuinæ indulgentiæ, quo se recipiant fluctuantes. Non contentus hac descriptione, progreditur: plura alia de peccato in spiritum sanctum eiusque natura disputat ac, si omnia coniungantur, sex illius species constituit: *obstinationem*; siue maxime peruersam voluntatem, in vitiis permanendi ac constantè peccandi: *desperationem*, qua animus est sine vlla gratiæ diuinæ expectatione: *presumptionem*, id est, persuasionem, deum non esse iustum: *impugnationem agnitæ veritatis* studiumque, id, quod verum est atque antea adprobatum, infringendi; falsum contra atque erroneum roborandi: *inuidentiã fraternæ gratiæ*, quum quis dolorem capiat ex gratia dei, qua alii fruuntur atque *impenitentiam*; siue contemtionem gratiæ diuinæ, qua resipiscentia conuersioque ad deum efficitur.* Magistrum hunc sequitur THOMAS AQUINAS, qui et copiose de peccato in spiritum sanctum differuit, eo ordine, vt primum ostenderet, quid illud sit, hac ratione: *peccare in spiritum sanctum dicitur non modo, qui quidpiam blasphemum dicit contra tres diuinas personas; vel contra tertiam personam trinitatis; vel qui vsque ad mortem in mortali peccato perseuerat; sed etiam qui peccat ex certa mali-*

* *libr. II. sentent. distinct. 43. p. 211. edition. Paris. MDLVIII.*

malitia, eligendo malum; seu impediendo et a se repellendo, quæcumque illum a peccato retrahere possent.* Refert deinde, nonnullos statuere, peccatum contra spiritum sanctum fieri, si quis peccet contra adpropriatum bonum spiritui sancto, cui adproprietur bonitas, sicut patri potentia et filio sapientia, hocque nomine peccatum in patrem ab infirmitate: in filium ab ignorantia: in spiritum sanctum a certa malitia, id est, ex ipsa erectione mali, ortum habere. Addit denique: sex sunt peccati in spiritum sanctum species: desperatio, præsumptio, impenitentia, obstinatio, impugnatio veritatis agnitæ, invidentia fraternæ gratiæ. Hæc est princeps eorum summa, quæ duo isti doctores scholastici de natura peccati in spiritum sanctum tradiderunt quæue et BONAVENTURA** atque alii ex istorum ordine adprobarunt. Doctrinam hanc variis vitiis laborare, non res ardua est, monstrare ac cognoscere. Enumerantur sex genera peccati in spiritum sanctum, sine omni causa, quoniam seruator iis vtitur verbis, quæ illud, tamquam vnicam; nec in plures alias diuidendam speciem peccatorum, nobis ante oculos ponunt, vbi ad ipsam eius essentiam ac formam, quemadmodum omnino fieri debet, respiciamus. Species, quas scholastici

B 2

consti-

* secund. secundæ quest. XIV. p. 31.
edition. Lugdunens. MDCCII.

** in libr. II. sentent. distinct. 43.
quæst. I.

constituunt, peccata quidem sunt, cum animi malitia coniuncta; quis autem dicat, malitiose delinquere idem esse, ac peccare in spiritum sanctum? Sane qui hoc affirmant, uti in horum numero scholastici sunt atque expresse docent: *ex malitia peccare est peccare in spiritum sanctum*,* aut ignorantiam oraculorum diuinorum; aut impudentiam, contra illa dicendi, produnt. Ex iis enim constat, cuiusuis peccati, quod fit a sciente ac volente: consulto ac de industria, atque actu absoluitur, a deo veniam sperandam esse, licet id sit summum ac grauissimum, si quidem gratia dei ad animi emendationem, per pœnitentiam conuersionemque, maxime per fidem in christum efficiendam, admittatur, *Ies.* 1, 5. 6. 18. *Luc.* VII, 37. sqq. *Rom.* IV, 8. V, 20. *I Ioann.* 1, 7. atque aliis scripturæ locis. Nullum igitur peccatum, quod condonari potest, habendum est peccatum in spiritum sanctum, quia hoc eius est naturæ, ut ab isto omnis spes veniæ sit remota. Vitiosa præterea sunt, quæ scholastici doctores de variis peccati in spiritum sanctum speciebus præcipiunt, quia essentiam peccati huius cum eiusdem adiuncto atque effectu confundunt. Sic *desperatio, præsumptio, impugnatio veritatis agnitæ, inuidentiæ fraternæ gratiæ*, genera illa, quæ nominant, interdum

* apud THOMAM dicto loco.

terdum cum peccato in spiritum sanctum connexa esse possunt; minus autem pertinent ad id, quod formam illius constituit. Sic *impenitentia* non tam species; quam effectus peccati huius est, idque non simpliciter; sed quatenus ista vsque ad mortem durat. Quæ additur, *obstinatio* vnice quadam ratione ad naturam peccati in spiritum sanctum accedit; non aliter tamen, quam modus repugnantia contra officium spiritus sancti, in qua ipsa peccati huius essentia posita est.* Nec inter eosdem scholasticos verum sensit GVIL. DVRANDVS a *sancto Porciano*, dum arbitratus est, peccatum in spiritum sanctum fieri per iniuriam, quæ in totam trinitatem inferatur,** quemadmodum iam antea monstratum fuit.

Hactenus de doctoribus scholasticis. Quosdam alios mediæ ætatis scriptores ad istos nunc adiungimus atque in his BRVNONEM *Astensem*, episcopum Signiensem, qui peccatum in spiritum sanctum ita interpretatur: *peccat in spiritum sanctum, quicumque eius doctrinam non recipit et talis tantique magistri consiliis non obedit; eius autem consilia sunt, quæcumque in lege et prophetis et in*

B 3

euan-

* videantur: LEONARD. HVERTERS *loc. theologic.* p. 364. et IO. ERNEST. GERHARDVS *dissertatione de irremissibili peccato in spiritum sanctum* §. 20. qui itidem con-

tra scholasticorum sententiam disputant.

** *comment. in libr. 11. sententiar. distinct. 43. quest. 2.*

*euangelis scripta sunt. Quaecumque apostoli et doctores prædicant ceterique omnes, qui puro corde et sincera intelligentia veritatem annuntiant, non hominis; sed spiritus sancti consilia sunt.** Sed longe hæc distant ab eo, quod christus de peccato hoc patefecit. Qui enim consiliis spiritus sancti non obediunt, sunt omnes impii, scelerati ac nefarii homines: fidei in christum expertes: propriæ prauæque; non diuinæ voluntati obsequentes; quis tamen dicat, cunctos hos in spiritum sanctum peccare ac spe carere, in pristinam gratiam cum deo redeundi? Immo, qui præceptis diuinis resistunt, ii ita delinquent, vt non solum spiritum; sed etiam patrem filiumque lædant, quia omnibus tribus personis obediendum est; at vero aliud esse peccatum in spiritum sanctum; aliud in filium hominis, seruator testatur. Præter Brunonem, commemorandus est ODO; siue ODOARDVS, episcopus Cameracensis, ob effatum, quod his scriptum verbis reliquit: *spiritus blasphemia*, inquit, *quæ remitti non potest, est impenitentia ad finem, pro qua orari non debet. Et quum in euangelio multa sint et innumerabilia peccata, quæ possunt*

* libro 11. *sententiarum cap. 2.* quæ translate sunt non solum in eiusdem opera, a MAVRO MARCHE-SIO, monacho Cassinensi, Venet. MDCLI. fol. duobus voluminibus cum notis ac præmissa dissertazione

de Brunone eiusque scriptis, quam aſtea Romæ separatim in lucem emiserat, edita; sed etiam in *maximæ bibliothec. patrum Lugdunens. to-mum XX. p. 1739.*

possunt dimitti, una est spiritus blasphemia, quæ non potest dimitti, cui est idem in epistola Ioannis peccatum ad mortem, id est, impenitentia ad finem, pro quo solo non debet orari. Et ita est unum solum peccatum irremissibile et in tribus euangelistis et in Ioanne adpellatum.* Nec hæc tradita esse accurate, ex eo adparet, quia peccatum ad mortem, cuius Ioannes i. epist. v, 16. meminit, explicatur de peccato in spiritum sanctum, sine satis firma, vt videtur, ratione; præterea autem impenitentiam ad finem non formam peccati in spiritum sanctum esse, supra denotauius. Quæ apud PETRVM Blæsensem, Bathoniensem in Anglia atque inde Londinensem archidiaconum et cancellarium archiepiscopi Cantuariensis regisque procancellarium, habentur: potentia ad patrem: sapientia ad filium: caritas ad spiritum sanctum pertinet. Hoc est, quod dicitur: peccare in patrem: peccare in filium: peccare in spiritum sanctum. Quando enim ex fragilitate peccamus, peccamus in patrem, quasi contra potentiam; quando vero ex ignorantia peccamus, peccamus in filium, quasi contra sapientiam; quando vero ex malevolentia peccamus, peccamus in spiritum sanctum, quasi contra dilectionem, ac quibusdam interpositis: qui ex malitia peccant, eorum delictum nullam habet excusationem et ideo

* opusculo de blasphemia in spiri. Bibliothec. patrum Lugdunensis p. tum sanctum, tom. XXI. maxim. 247.



*ideo pœna eorum remissionem habere non debet, * illa fere eadem sunt, quæ antea ex scholasticorum libris a nobis relata ac confutata sunt.*

Qualis sit scriptionis huius caussa, in vestro cœtu, CIVES, nullus est, qui ignoret. Per cœlestem gratiam tempus lætum festumque rediit, quo oracula diuina de spiritu sancto adnuntiantur ac maxime narratur, quomodo ille missus eiusque illustria munera super seruatoris legatos large sint effusa. Vos igitur merito adhortamur ad tempus hoc ita peragendum, vt recte ac sapienter vobis consulatis hancque in rem prauis cupiditatibus obfistendo: orationes sacras attentè audiendo: verbum dei in pectora vestra demittendo, omnia diligenter curetis, quæ ad animarum vestrarum salutem sempiternamque felicitatem pertinent; simul autem pro laudabili consuetudine liberalem animum erga nostros voluntatis diuinæ interpretes declaretis. P.P. primo die pentecostes anni christiani M DCC LIIV.

** sermon. XXIIX. tom. XXIIV. excitatæ biblioth. paruum Lugdunens. p. 1430.*

(L. S.)

00 A 6359

ULB Halle
002 916 746

3




VD 18

W 17

Retrow







52

B.I.G.

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

CATVM
IN
M SANCTVM

AD
ENTECOSTES
CELEBRANDA
EMIA IENENSI
TA COMMENTATIO
VARTA.

CHRISTOPH. STRAUSSIL:

